

amus ad deū adclamant. Ipsi quoq; euangelizant. Sine  
 his sacerdos nomen habet, officium non habet. Nam  
 sicut in sacerdote consecratio, ita in ministro dispen-  
 satio sacramenti est. Ille oblata sanctificat, hic sanctificata  
 dispensat. Ipsi etiam sacerdotibus, propter presump-  
 tionem non licet de mensa domini tollere calicem,  
 nisi eis traditus fuerit a diacono. Leuitę offerunt obla-  
 tiones in altaria, Leuitę componunt mensam domini,  
 Leuitę operiunt arcam testamenti, non enim omnes  
 uident altare mysteriorum, quę operiuntur a Leuitis,  
 ne uideant qui uideri non debent, & sumant qui serua-  
 re non possunt, quiq; propterea altari albis induiti affi-  
 stunt, ut hinc admoniti, celestem uitam habeant, can-  
 didiq; ad hostias & imaculati accedant. Quos primus  
 fecit Siluester Papa tricesimus quartus potifex, in Ro-  
 mana ecclesia, post Petrū, Dalmaticis uti, & constituit  
 ut pallio linostio eorum leua tegetetur, sicut in gestis  
 pontificalibus continetur.

## DE SVBDIACONIS.

## Ca. VIII.

Ypodiacones. ὑποδιακονες, grece, quos nos

h Subdiacōnes dicimus, qui ideo sic appellātur,  
 quia subiacent preceptis & officijs Leuitarū.  
 Oblationes in templo dei a fidelibus ipsi suscipiunt, et  
 Leuitis super ponendas altaribus deferunt. Hii apud  
 Hebreos Nathinnei uocātur, ut liber Paralippomenō  
 & Hestře testatur, quod interpretatur in humilitate  
 domino seruientes. Ex eorum ordine fuit ille Nathas-  
 nael, qui in euangelio Ioannis diuina proditiōe con-  
 monitus, saluator em meruit confiteri, quiq; etiam ad  
 primum diuinitatis iudicium fidelis en-  
 tuit, protestan-  
 te dño ac dicēte, Ecce uere Israelita, in q̄ dolus nō est.

c ij

Isti quoque uasa corporis & sanguinis domini diaconibus ad altare offerunt. De quibus quidem placuit patribus ut quae sacra mysteria contrectant, casti & continent ab uxoribus sint, et ab omni carnali inmundicia liberi, iuxta quod illis propheta docente iubetur. Mundamini quoque fertis uasa domini. Hi ergo cum ordinantur non suscipiunt manus impositionem sicut sacerdos & leuitae, sed patenam tantum et calicem de manu episcopi, & archidiacono ciphum aquae cum aqua, mantile et manutergium;

#### DE ACOLYTHIS.

Ca. IX.

**A**colythi, ἀκολυθῆ, græce latine cæroferarii dicuntur a deportandis Cereis, quando legendum est Euangelium, aut sacrificium offerendum, tunc enim accenduntur luminaria ab eis & deportantur, non ad fugandas tenebras, dum sol eodem tempore rutilat, sed ad signum leticie demonstrandum, ut sub typo luminis corporalis, illa lux ostendatur, de qua in euangelio legitur. Erat lux uera, quae illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum, quorum typum præferabant illi, qui domini mandato in tabernaculo lucernas quotidie accendebant, super candelabrum positas.

#### DE EXORCISTIS.

Ca. X.

**E**xorciste, ἐξορκιστῆ, ex græco in latinum adiurantes seu increpantes uocantur. Inuocant enim super catecuminos, uel super eos qui habent spiritum inmundum nomen domini Hiesu, adiurantes per eum, ut egrediatur ab eis. Refert Iosephus, regem Salomonem excogitasse, suamque gentem docuisse modos exorcismi, id est adiurationis, quibus immundi spiritus expulsi ab homine, ulterius reuerti non sunt ausi. Testatur & de eis liber actus apostolorum, ita dicens. Tætauerunt autem quidam, & de circueuntibus Iudeis exorcismis inuocare